

P R Æ F A T I O.

Opes olim à pijs Imperatoribus & Principibus, Ecclesijs & Scholis collatæ sunt, Centauri & Cyclopes ad se ususq; profanos abripiunt, ac deuorant. Deinde multi liberos suos rectè à nobis multis annis magno labore institutos, utiles breui futuros Ecclesiæ & Reipub: ad manuaria, ut uocant, artificia & quæstuosas artes transferunt: quod certè summum scelus est, & uerè sacrilegium, propter quod, præter cætera peccata, Deus haud dubiè mundum hoc tempore tot calamitatibus & ærumnis onerat. Sicut inquit apud Esaiam: *Væ qui spolias, quia spoliaberis.* Multa enim bona ingenia utilia Ecclesiæ Dei, & Rebus, propter præsidiorum inopiam deserere coguntur cursum studiorum, quod profectò, cum tantæ sint opes Ecclesiæ, dolendum est.

Etsi autem tantus est, ut dixi, contemptus literarum & uirtutum apud uulgum, ingratitude insignis erga doctores & moderatores scholarum puerilium, & iuuentutis contumacia: tamen illi, qui Scholas & Ecclesias gubernant & docent, nequaquam debent remittere, ut dicitur, equo currenti frenas, hoc est, fieri segniores: sed potius maiori studio & cura delegatam sibi à Deo munus & stationem tueri, & Spartanam quam nacti sunt, ornare: & remunerationem & successum laboris expectare ac petere à Deo, cuius negotium & gloria, non hominum, docendo & gubernando agitur. Nec scholastici, etsi magnus discentium litc-